

Albeam^{a)}), quod quidem theloneum ad deserviendum dictae praebendae deputavimus in perpetuum, ipsum dictae ecclesiae Myssnensi donantes, tradentes, appropriantes et praesentibus in ipsam ecclesiam idem theloneum transferentes cum omni iure, honore et utilitate, quibus in eodem theloneo nostri progenitores et nos hactenus usi sumus, perpetuis temporibus quiete et pacifice pro dictae praebendae corpore possidendum, ita tamen, quod de dicto theloneo singulis annis in anniversario illustris quondam inclitae memoriae domini Frederici genitoris nostri karissimi altera dimidia sexagena grossorum, ibidem canonicis una sexagena, et vicariis dimidia pro consolatione et praesentia tribuantur. Postquam autem disponente domino et nos de hac luce vocati fuerimus, in nostro anniversario de dicto theloneo totidem dictis canonicis et vicariis annis etiam singulis largiantur. Praeterea et in anniversario dicti domini Ludewici, ergastulo carnis similiter volente domino resolutus cum fuerit, una sexagena etiam annis singulis ibidem suis concanonicis et vicariis porrigatur. Volumus insuper ut de dicta praebenda sic disponatur, quod ipsa sortiatur firmitudinem, ut praemittitur, in dicta ecclesia perpetuam, ita videlicet, quod uno defuncto, qui ipsam tenuit, continuando hoc de tempore ad tempus usque in aevum alteri semper conferatur, et is qui dictae praebendae pro tempore praefuerit ac ipsam possederit, dictas sexagenas quatuor in dictis anniversariis, sicut praemissum est, tenebitur dispensare. Ut autem dicti thelonei ad fundandam dictam praebendam nostra appropriatio robur obtineat perpetuitatis, has litteras dictae ecclesiae Myssnensi super eo in testimonium dedimus nostri sigilli munimine roboratas. Testes vero huius sunt nobiles viri avunculi nostri dilecti Henricus iunior advocatus de Plawen dictus Reuze et Henricus senior advocatus de Gera, Bertoldus vicedominus de Eckestete, Henricus de Kokeritz, Johannes Magnus de Sywitschin senior, Johannes de V̇tynhouen, Otto de Kotewitz noster marschalcus et quam plures alii fide digni. Datum Rochlitz anno dom. M^o.CCC^o.XXIX^o. in die sancti Donati.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem wohlerhaltenen Reitersiegel des Markgrafen an Fäden von rother und grüner Seide.

a) Grossenhain.

No. 402. 1329. 20. Nov.

B. Heinrich zu Naumburg und das dasige Capitel bestätigen die vom verstorbenen B. Ulrich bereits gemachte Uebereignung der Güter in Gröbern mit dem Patronatsrechte an das Capitel zu Meissen.

Nos Henricus dei gratia episcopus ecclesiae Nuenburgensis recognoscimus et ad notitiam omnium quorum interest seu interesse poterit volumus pervenire, quod felicis recordationis dominus Vlricus, praedecessor noster divinae remunerationis intuitu dedit, donavit et appropriavit capitulo ecclesiae Misnensis proprietatem bonorum villae in Grobere cum iuribus et pertinentiis suis necnon iure patronatus ecclesiae parochialis ibidem. Quae quidem bona tunc ad ius et proprietatem ecclesiae Nuenburgensis spectantia Johannes et Wicnandus strenui viri de Herstein quondam ecclesiae nostrae vasalli ab ecclesia nostra in feodum possiderunt et ecclesiae Misnensi per ipsos vendita ad manus dicti praedecessoris nostri liberaliter resignarunt. Quorum bonorum